



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

VI. De Colloquiis, & synodis, & ratione quam in historia Ecclesiarum  
suarum conficienda observant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

bens iurisdictionem, adeo ut de causis matrimonialibus, ut antea, tum amplius cognoscere aut sententiam ferre non possit.

V. Diaconi sunt Ecclesiastici rarij custodes, qui argentum ad stipendia Ministris exsoluenda colligunt, & aegrotos visitant, rebusque necessarijs iuuant (quod munus utpote & laboriosum & tardiosum Ministros nimis delicatos in hos deriuasse Launaius scribit) & venientibus, aut alijs quibuscumque peregrinis ex Ministrorum iussu & Consilio, stipem largiuntur. Illis qui fixum habent domicilium, nihil nisi de totius Consistorij consensu datur; ac ne obolus quidem, nisi eis qui eandem cum ipsis profiteantur religionem. Qua quidem in re tanto rigore utuntur, ut Ludimagistris prohibitum sit ne minem docendum suscipere, qui sit Catholicus. Paupertatem vero alleganti, parum quid ex eleemosynis datur, quo tanto facilius se suosque sustentet. Hoc vero officium Caluinus Diaconis tribuit, eo quod a Margarita Nauarræ regina eleemosynæ, cuius nomine, quatuor quos Francos vocant millia, ad ipsum miserat, male administratæ insimularetur. Sed quæstorculi hi Ecclesiastici eleemosynis non contenti, ulterius etiam progrediuntur, & ut quidam scribit qui libros ipsorum & rationes inspexit tributa ad communes sumtus viritum indicta colligunt, quinam apti sint armis tractandis explorant, omniaque diligenter ad Consistorium referunt. Immo velut Delphici sunt gladij sunt enim Officiarij, Lectores, ministri Consistorij, lidem Ministris Cœnam administrantibus assistunt, & ne miser nimio labore rumpantur, vitrum communicantibus porrigunt. In quibusdam locis, ut apud Pictanenses, iidem à Consistorio pro lubitu ordinantur ac rursus deordinantur, conciones habere & baptizare iubentur: ac velut lampadem muruo sibi tradunt. Miser ille Babinorus, quem Caluinus primum manere isto & nomine orauit, falsamentarius postea fuit. Alibi vero etiam præter hos nescio qui alij sunt officarij, quos Cantores, Lectores, & Monitores (*Auvertisseurs* Gallice) vocant. *Cantoris* est Psalmodionare, cathedram suam habet infra suggestum, aliquanto altius eleuatam, ut ab omnibus conspici & audiri queat: estque homo laicæ tam vitæ genere quam vestitu. *Lectores* populo Ministrum aduentum expectant, caput aliquod è Biblijs è suggestu prælegunt: qui alibi etiam Diaconi appellantur. *Mo-*

*nistres* plerumque sunt ex infimo hominum genere, & ostiatiim circumeuntes, delatos ad Consistorium euocant; interim vero dum illi causam dicunt, ostio adstantes, omnia ea quæ dicuntur aut fiunt, sollicitè explorant, ac deinde coram illo conscientiarum Tribunali, Consistorio inquam, exponunt. In ditione Benearensi Reformati isti sex *Superintendentes* constitutos habent, qui Ministrorum munere non funguntur, sed eorum rationum quæ ad Synodos congregandas vel anticipandas pertinent, curam gerunt; suntque homines idioræ, omnisque literaturæ, ut plurimum imperiti. Quinetiam alio Ecclesiasticorum Officiorum quæ illos seu Ecclesiasticarum pecuniarum Receptores adscripti sunt, quorum munus est, ut supra quoque dixi, non Ministris modo, sed & ducibus ac militibus stipendia exsoluere. Sic ergo Diaconi hi veluti lani bisfrontes sunt; ut qui facie vna cœlum, altera terram spectant. Atque hæc quidem officiorum Ecclesiasticorum apud Caluinitas est ratio, longe dissimillima ei quæ à S. Ignatio traditur, ubi inquit, Episcopum super omnes habere potestatem, & in hoc filium Dei quodammodo representare. Ordinem Presbyterorum nihil aliud esse quam sacrum Collegium eorum qui Episcopo assistunt. Diaconos velut Angelorum esse imitatores, qui ministerium exhibent purum & immaculatum.

VI. Porro & Ministrorum, Seniorum, ac Superintendentium arbitrio Colloquia instituuntur, & auctoritate diriguntur. Hæc vero quater ut plurimum toto anno celebrantur, ad quæ vicini Ministri cum suo quisque Seniore conueniunt, & de doctrina disputant, aut controuersias, si quæ inter pastores aut greges extiterint, componunt, omnia denique de quibus proxima synodo deliberandum videtur, colligunt. Neque enim quidquam pro rato habetur, nisi quod synodus ratum esse iusserit. *Synodis vero duplex sunt, Prouinciales ac Nationales.* Generales enim seu Vniuersales nullas habent: quum Angli Caluinitæ Gallorum nec Fidem nec Religionem, multo minus ceremonias probeant. Germania quoque nihil fere cum vtrisque commune habet. Sed quid dico Germaniam? immo exiguus ille pagus Benearensis suam habet peculiarem sibi formam. *Prouincialis synodus quorannis* celebratur, cui quidem Ministri omnes cuiusque prouinciæ, vna cum vno ex Senioribus intersunt: quorum deinde omnium sus-

si agijs

fragijs ex Ministris vnus eligitur qui tamquam  
 præles actionem totam dirigat. *Moderatorem ap-  
 pellant.* In his præcipue consideratur, an forte vel  
 in doctrinam vel disciplinam vitium aliquod ir-  
 reperit. Quibus vero oculis, quo animo ac can-  
 dore id fiat, Deus nouit. Ante omnia vero ea quam  
 à reformatis quis merito expectet, veritate ac fide  
 quæ ad Ecclesiæ suæ pertinent historiam, conge-  
 runt, atque ex ijs deinde Annales quales videmus,  
 confarcinant. Populinerius non ignobilis xui  
 nostri scriptor mihi dixit, se non semel à Consisto-  
 rialibus reprehensum, quod Ecclesiasticam histo-  
 riam scribens, multis in rebus maiorem veritatis  
 quam partium, quas sequebatur, rationem habuisset:  
 vt qui mendacijs res suas promouere licitum  
 sibi, immo pulcrum putent. *Synodus Nationalis al-  
 tero aut tertio quoque anno conuocatur,* ad quam è  
 singulis prouincijs vnus Minister mittitur, quæ-  
 rum in Gallijs quindecim fere sunt aut sedecim,  
 vnà cum totidem Deputatis, quos vocant, homi-  
 nibus magna ex parte illiteratis. Ad hanc vero  
 grauissimæ quæque causæ deferuntur, ac diffini-  
 tiua sententia deciduntur. Et quidem plenariam  
 Synodorum eiusmodi autoritatem tantopere illi  
 iactant, vt quum Minister quidam Nationali Sy-  
 nodo quæ Figeaci habebatur præsidens, reprehens-  
 sus esset quod aureos digitis annulos gestaret, res-  
 ponderit, id sibi tamquam Episcopo & supremo  
 Iudici, licere. Atqui non multo post in hoc Calui-  
 niani cum Ministris suis dispensarunt, in quorum  
 iam digitis, sine vlla dignitatis prærogatiua, pas-  
 sim aurum micare cernas. Deputatis vero il-  
 lis omnium Ecclesiasticarum causarum arbitrium  
 permissum est, vt & disciplinæ vel restringendæ,  
 vel in aliam formam transfundendæ. Cæterus ad-  
 mirabiles, sibi que plane contrarias Reformationes  
 in Synodis his eudi ait: quarum absurditatem eti-  
 am multi inter ipsos intellexerint ac demonstra-  
 rint. In Occitania & Vasconia idem testatur ab An-  
 no MDLXXI. vsque ad annum MDLXXXIII.  
 disciplinæ in decidendis negotijs maiorem quam  
 ipsius Sacræ Scripturæ auctoritatem ac pondus  
 fuisse: ac plerosque ab hac inscitia non potuisse  
 deduci, in qua tamen omnis fere istorum ho-  
 minum eruditio consistit. Sed Consto-  
 ria iam, & quomodo in  
 eis viuatur, videa-  
 mus.

## DE CALVINIANÆ ECCLESIAE Consistorijs.

### CAPVT VIII.

#### ARGVMENTVM.

- I. De Consistorijs eorumque mirabili confusione.
- II. De numero Consistorialium, & potestate.
- III. Quamdiu officia ista durent.
- IV. Seniores crimina ad Consistorium deferunt.
- V. Consistoriorum nugæ seu historia.

I. **C**aluinistica Ecclesiæ Consistorium ac Se-  
 natus, cuius est, vt Calvinus voluit, con-  
 scientias regere ac iudicare, ad magni illius Ro-  
 mani Senatus exemplum, ex omni hominum ge-  
 nere constat, militibus, causidicis, opificibus, ru-  
 sticis. Quid multis? In sacrum hoc collegium om-  
 nes, modo hominis formam habeant, cooptan-  
 tur. Frustra hic cum illo exclames, *procul è procul este  
 profani.* Sed ò pudendam rei tam arduæ prophana-  
 tionem ac confusionem: An quisquam melioris  
 monetæ, vt ita dicam, tam viles & abiectos ho-  
 mines in tanto munere socios sibi adiungi patia-  
 tur? Patiendum tamen est, quia Calvinus ita vo-  
 luit: qui contra Alchymia regulas, ferrum ac cras-  
 siora metalla cum sublimi illo mineralis Mercurij  
 spiritu colligere: id est, ex dissimillimis inter se li-  
 teratorum atq; illiteratorum ingenijs nescio quem  
 sympathicum cœtum cõstare voluit. Hic mihi An-  
 tisthenes occurrit, qui quum Atheniensibus sua-  
 sisset, vt asinos non minus quam equos aratris iū-  
 gerent, illi vero asinos ad laborem hunc nequa-  
 quam aptos esse dicerent, *Parum refert,* inquit,  
*apti sint nec ne, Vos modo quod dixi facite.* Eodem  
 modo vos modo Calvinista, sartorem illum (sato-  
 rem, cerdonem, aut quemcumque alium, in Con-  
 sistorium cooptate; nec dubitate statim cum ipso  
 Senioris nomine dotes omnes ad munus id necessa-  
 rias eius animo infusum iri. In his vero Cõsistorijs  
 mercatores plerumq; ceteris præferuntur, nec solū  
 referendi, sed etiam vnà cum patribus Consisto-  
 rialibus iudicandi munus exercent. In summa,  
 dimisso Consistorio, causidicus ad curiam, mer-  
 cator ad forum, sutor ad lutrinam, rusticus ad  
 aratrum